



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Investiturarum controversia recrudit sub Paschale secundo Papa & Henrico quinto Imperatore. Habitum ea de causa colloquium in urbe Catalaunensi; ubi jura Imperij magnificè disseruit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

bitiones sic interpretatur ut solennitatem baculi & annuli veritatem esse pronuntiet, apparet, inquam, cum innuere Regem Franciæ Philippum eo temperamento adhibito paruisse decreto synodi Claromontanæ. Idipsum colligi potest ex eo quod Paschalis secundus in Galliam venit ut Ludovici Crasfi Regis præsidium imploraret adversus Henricum quintum Imperatorem, qui usum investiturarum acriter retinebat. Nam hic agendi modus omnino intempestivus & absurdus fuisset, si Ludovicus quoque tum temporis in usum revocare solitus esset solennitatem investiturarum quæ damnata erat à Papa Urbano, & de qua tum maxime disceptabatur inter Paschalem & Henricum. Sed præterea discimus ex epistola cxxxviii. ejusdem Ivonis, schisma quod in regno Germaniæ vigeat ob investituras, in Francico non fuisse. Sanè cum usus solennitatis hujuscemodi deserit, par est existimare cessatum ab ea fuisse in consequentiam synodi Claromontanæ.

ADDITIO.] Datur nova editio Concilij Lateranensis à Paschale secundo celebrati.

I. INVESTITURARUM controversia isthæc duravit tota integra inter Paschalem secundum Urbani successorem & Henricum quintum Imperatorem. Antequam tamen res in apertum dissidium erumperet, colloquium Rege Francorum Ludovico præsentem habitum est anno MCVII. in urbe Catalaunensi inter Summum Pontificem & Legatos Imperatoris. Treverensis Archiepiscopus disseruit jam inde à tempore Gregorij magni jus Imperij circa electiones Episcoporum in eo versari ut antè quàm electio publicetur, secretò Imperator admoneatur quisnam electus sit, Imperatorem verò assensum suum adhibere si persona electa ei grata sit. Post quæ, electio fit publicè à clero, & electus consecratur. Post consecrationem autem redit ad Imperatorem pro Regalibus, quibus ab eo donatur sive investitur per traditionem annuli & baculi, Imperator verò ab eo recipit homagium & juramentum fidelitatis. Quod omnino æquum esse ait hic Archiepiscopus. Neque enim debere electum alia ratione occupare civitates, castella, marchias, telonea, & cetera jura imperialia. Rem gestam narrat his verbis Sugerius in vita Ludovi Grossi: *Consecratum ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, ut anulo & virga investitur, redire, fidelitatem & hominum facere. Nec miram. Etenim civitates & castella, marchias, telonea, & queque imperatoris dignitatis nullo modo aliter debet occupare.*

II. Papa verò respondit Ecclesiam, quæ pretioso sanguine Iesu Christi redempta, libera facta fuerat, ancillari deinceps non debere aut ad servitutem redigi. Ecclesiam porrò, si Prælatus eligere non possit absque consilio Imperatoris, Imperatori fore subjektam serviliter, ac mortem Iesu Christi irritam & inutilem esse si Episcopus investitur per baculum & annulum. Cùm enim res illæ ad altaria pertineant, usurpationem hanc esse adversus Deum. Demum Prælatos suo ordini & sacre unctioni derogare si manus suas, quæ dominico corpori & sanguini atrectandis destinatæ sunt, sanguinolentis laici manibus supponant, ut sponsionem ei faciant fidei. *Si Ecclesia, inquit Paschalis Papa apud Sugerium, eo inconsulto Prælatus eligere non possit, cassata Christi morte, ei serviliter subjacere, si virga & anulo investitur, cum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum usurpare, si sacras dominico corpori & sanguini manibus gladio sanguinolentis obligando supponunt, ordini suo & sacre unctioni derogare.*

III. Cùm itaque parum ad concordiam

HH h iij

CAPVT XX.

Synopsis.

I. Investiturarum controversia recruduit sub Paschale secundo Papa & Henrico quinto Imperatore. Habitu ea de causa colloquium in urbe Catalaunensi; ubi iura Imperij magnificè disseruit Archiepiscopus Treverensis, dicens Episcopum eligi non posse absque consensu Imperatoris, deinde verò Regalia ab eo accipere debere.

II. Respondit Paschalis Ecclesiam fore serviliter subjektam Imperatori si Prælatus absque consilio eius eligere non possit, mortem verò Iesu Christi irritam esse si Episcopus investitur per baculum & annulum.

III. Cùm Henricus Italiam bello peteret, Paschalis præcepit ut Episcopi Regalia Imperatori dimittant, ipse verò renuntiet juri investitura & liberæ esse sinat Episcoporum electiones.

IV. Tandem urgentibus Romanam urbem satis, Paschalis in carcerem ab Henrico conjectus, privilegium investiturarum ei concedere adactus est. Ex verbis hujus privilegij colligitur quid juris antea competeret Principibus.

V. Privilegium illud vocatum est privilegium in Concilio Lateranensi. Disputatum eo tempore an pertinacia illa propugnandarum investiturarum hæresis esset. Refertur sententia Ivonis Carnotensis, qui hæresim esse negat.

VI. Ioannes Archiepiscopus Lugdunensis aiebat investituram exteriorem desinere posse in hæresim, si quis pertinaciter contendat eam à laico concedi posse licitè.

VII. Goffridus Vindocinensis distinguit investituram per anulum & virgam ab ea quam laici faciunt absque illa solennitate. Investituram tamen à Principe dandam non esse nisi post electionem & consecrationem. Quod inventum est à Goffrido adversus vetustam consuetudinem.

Vide Heflonem scholastic. apud Terognellum pag. 119.

Sugerius pag. 187. Vide infra cap. 21. §. 4.